ILLVSTRISSIMO ET REVE-
RENDISSIMO DOMINO

D. BERNARDO MACIEIOWSKI, S.R.E. CARDINALI, EPISCOPO CRACOVIEN: DVCI SEVERIEN: &c. &c. Domino colendissimo.

Carmen Gratulatorium.

GASPAR OBORSKI St. Almæ Acad. Cracouien. officiosè offert.

CRACOVIÆ,
Anno Domini 1604.

IN INSIGNIA
Ill^mi & Reuer^mi Cardinalis Dñi,
D. Bernardi Maciciowski, Dei Gratia Episcopi Cracouieñ, Ducis Seuerieñ, &c. &c.



Cui non audita est vis admiranda Milonis?
Portauisse humeris dicitur ille bouem.
Cui non audita est Præsul tua maxima virtus?
Qui pariter defers ceu tulit ille bouem.
Fortis es ô Macicioui nec fortior vnquam
Esse, sed ipso te fortior esse potes.

ILL.^MO ET REVEREN.^MO DOMINO D. BERNARDO MACIEIOWSKI, S. R. E. CARDINALI, EPISCOPO CRAC: *Duci Seuerien. etc. etc. Domino colendißimo.*

SI quenquam nitidis virtus ſic euehat alis,
Et faciat ſummo ſplendida ſtare loco,
Vt nec principiũ generoſo à ſanguine ducat,
Nec iactet fortes, dinumeretq́; viros,
Qui vel conſilio patriam iuuêre, vel armis,
Vel bene pro patriis occubuêrę focis;
Sed ſua cum pulchris exornet condita factis,
Vitaq́; magnificis æquiparanda viris.
Qualiter Arpinas ortu non notus vterq́;
Attamen eſt factis notus vterq; ſuis,
Ambit inauratis illum vaga gloria pennis,
Multum inde & laudis; multũ & honoris habet.
Nec paruum eſt, ſi quis maiorum geſta ſuorum
Iactet, & innumeris laudibus vſque ferat,
Ab Ioue principium generis deducat, & ortum,
Nobilis vnde, licet nil ſuperaddet, erit.
Scilicet eſt aliquid magnis natalibus ortum
Eſſe, retroq́; ſuum poſſe referre genus,

Et res maiorum, vel belli tempore gestas,
Tempore vel placidæ commemorare togæ.
At si quis magnos proauorum ornauerit ausus,
Multum de factis addideritq́; suis
Hic vir hic est, ornat quem non modo fulgida gẽtis
Gloria, & illustris splendida facta domus.
Hanc Macieiovi laudem venaris & amplo
Stemmate contentus non cupis esse tuo,
Et genus, & proauos, & quæ non feceris ipse,
Censeri verè non tua posse putas,
Sic virtutis enim flagras bone Præsul amore
Æstuat accensis qualiter Ætna rogis.
Esse potest quis te melior vel amantior æqui,
Qua patet Arctoæ Sarmatis ora plagæ.
Quis proceres inter talis, sanctumq́; Senatum,
In quo sit tantus relligionis amor?
Quam multùm viduis tribuit tua dextera egenis,
Pauperibus magnas quamq́; refundis opes?
Das citius nec te multum cupis esse rogatum,
Dextera præuenit sæpius ista preces.
Si tibi diuitias Cræsi fortuna dedisset,
Quodq́; metalliferis deuehit Hermus aquis,
Et quidquid Ganges, aut Medus voluit Hydaspes,
Purpureis auro diues vterque vadis.
Id dispensares æqua pater optime lance
Conspicuos inter relligione patres

Inter

Inter & astantes sacrati ad limina templi,
Et quos pauperies indiga torquet opum.
Dij faciant tellus multo fœcunda labore
Augeat vt census, multiplicetq; tuos.
Æs tibi terra parens, multumq; perenniter aurum
Proferat & largo fundat vtrumq; sinu,
Dignus es Attalicis & quas fert Persia Gazis
Dignus es aurito ditior esse Mida.
Quid referam mores te tali Præsule dignos,
Inclusamq; animo nobiliore fidem?
Quid candorem animi, quid inania pectora fraudis;
Pectora Sythonia candidiora niue.
Adde quod inflato non sunt tua pectora fastu
Turgida, fortunæ nec tumefacta bonis.
Cynthia sidereos quantum supereminet ignes
Germanam quantum Cynthius ipse suam:
Tantum mitra caput quorum sacrata coërcet,
Et quibus est Domini pascere cura greges,
Concedunt Bernarde tuis vir maxime factis
Vir præstans animi nobilitate tui.
Tu sæpè externas à principe missus ad oras
Cui paret Getico terra sub axe iacens,
Tot proprio legati obiisti munia censu
O Præsul patriæ ductus amore tuæ,
O pietas nostris penè intermortua seclis
Curaq; pro patriis euigilata focis.

Eheu quam pauci communia commoda currant,
Pauci per proprias demereantur opes?
Quisq; sibi nempe est isto studiosior æuo,
Publica nec propriis anteferenda putat.
Quam diuersa tuis constat sententia factis,
Pro patria patriis largiter vse bonis.
Emeritus tandem pro relligione laboras,
Excubiasq; tuo pro grege pastor agis.
Imperii moles grauis est & maxima sacri
Indiget Herculeis viribus istud onus.
Vt fatear verum officij molimina tanti,
Nemo te melius commodiusq; regit.
Hîc vbi sublimi tollit se mole Vauelli
Regia Sismundi nobile Regis opus,
Cæpisti sacras quando bone pastor habenas,
Iam quater Icario terra sub igne calet.
Heu qui tum plausus qui tum fremuêre tumultus,
Omnes læticiæ signa dedêre suæ,
Quaq; ieras ingens confluxerat vndiq; turba,
Turba tibi lætos ritè precata dies.
Æra dedêre sonos, & non audisse loquentem,
Inque vicem astanti verba dedisse fuit.
Talis erat strepitus, rigidi in certamine Martis,
Alta perit qualis bellicus astra fragor.
Sic pariter populo, pariter plaudente Senatu,
Læticiamq; animi testificante sui,

Ibat

Ibat inaurata Penëide tempora vinctus,
Roma triumphatrix quo duce sæpè fuit,
Quo duce placatis fulsit pax aurea terris,
Imperio nunquam pax magis visa suo.
En iam maturos rursum spectamus honores,
Læticiæ debet nullus adesse modus,
Purpureo incedit decoratus murice Præsul,
Defluit ad summos palla cruenta pedes.
Cardinei Præsul decus immortale Galeri,
Hic tibi delatus quam bene seruit honos,
Tu quoniam primis fera bella secutus ab annis.
(Atque equidem decuit te fera bella sequi)
Promptus eras auido laudis procumbere fato,
Et bene pro Patria vir generose mori,
Nam tanto magnæ latuêre in corpore vires,
Quiq; modo est animus corpore maior erat.
Credibile est forti te non cessisse Miloni,
In proprio quando flore iuuenta fuit.
Credibile est fortem tibi concessisse Milonem:
Dum litui; dum te detinuêre tubæ.
Fortibus ille fuit, portentosisq; lacertis,
Viribus ille fuit par tibi, mente minor,
Fundere purpureum pro relligione cruorem,
Hoc etiam tectus murice promptus eris,
Hoc sibi coccineo saturatas murice vestes,
Quod bene scis Præsul maxime, velle scias.

Dij tibi

Dij tibi ſint faciles & ſint in honore ſecundi
    Eueniant votis omina fauſta tuis
Decurrat placidas fęlix tua cymba per vndas,
    Deuehat antennas aura ſecunda tuas.
Omnes ſuſpiciunt te, demirantur amantq́;,
    Et cupiunt vitæ tempora longa tuæ.
Atque vtinam pro te communia vota valerent,
    Et poſſent ſuperos illa mouere Deos.
Dignus es Euboici transcendere pulueris annos,
    Terque æuo functi ſæcula longa ſenis,
At cum Neſtoreos meritis ſuperaueris annos;
    Neſtoreos detur viuere poſſe dies.
Tum demum humanis flecti Dea neſcia votis,
    Diſrumpat fatis debita penſa tuis.

H.J.
VA